

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0411

0409

0415

0405

0420

0400

0460

0360

0510

0310

0910

397

Domino gaudens etc. Mihi oppidum carcer, solitudo paradisus, nam solitudo monachum facit, non publicum. Haec ibi. Ideo Jeronymus multos induxit, ut desertum ingrederentur, singulariter tamen Praesidium diaconum, cui de hoc scribens epistolam dicit: Nuper Aegypti deserta vidisti, intuitus es angelicam familiam, quanti ibi flores sunt, quae spiritualibus gemmis prata vernantia vidisti, sarta, quibus Dominus coronatur, ille tibi in pectore ignis aestuat, illa cottidie cogita, tracta, desidera etc. Sed et ipse Jeronymus furenti desiderio solitudinem desiderabat. Unde in epistola ad Theodosium et ad alios anachoretas dicit: Spectarem desertum omni amoenius civitate, viderem desolata ab accolis loca, quasi ad quoddam paradisi instar sanctorum coetibus obsideri; . . . mea . . . delicta, ne consortio beatorum insereretur obsessum omni crimine caput. Et Augustinus in epistola ad Pastores dicit: ubi est eremus plena millibus servorum Dei.

Decimo quinto desertum est locus tentationum. Unde Dominus non legitur tentatus nisi in deserto, Marci 1. et Matthaei 4. Quantas tentationes habuerint Sancti in deserto liber Vitae Patrum multis exemplis ostendit. Sed et Deus ibi antiquos patres, filios Israel, multipliciter tentavit, ut patet Exodi XVI. et Deut. VIII., ubi dicitur: Adduxit te Dominus Deus XL annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret. Et ibidem C. XIII.: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, utrum eum diligatis. Antiqui etiam patres Deum ibi tentaverunt, unde Psalmus dicit: In deserto tentaverunt me patres vestri. Et iterum: Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis etc. Contra hoc, quod dicitur Deuteron. VI.: Non tentabis Dominum Deum tuum. Jeronymus in tractatu de tentationibus decem enumerat tentationes filiorum Israel in deserto.

Decimo sexto desertum est locus magni meriti. Ideo post deserti rigorem sancti patres acceperunt terrae sanctae possessionem. Et Sancti novi Testamenti propter majus meritum acquirendum deserta ingressi sunt.

Decimo septimo desertum est locus lationis legum et mandatorum, ut patet Exodi XIX. et XX.

Ende

Anfang